



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **NOTUM EST** IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS TITULO «A CONSOLATIONE»

INVOCATAE, QUAE IN ECCLESIA PAROECIALI PAGI VULGO PASIERBIEC
APPELLATI COLITUR, PRETIOSO DIADEMATE REDIMIRI SINITUR

NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS Ad perpetuam rei memoriam. – Notum est Christifideles Polonici dioecesis Tarnoviensis ac propinquarum Ecclesiarum multa cum pietate colere imaginem Beatae Virginis Mariae titulo «a Consolatione» invocatae, quae religiose servatur in paroeciali ecclesia pagi sermone patro appellati Pasierbiec, ad quam iidem Christifideles frequenter accedunt vel auxilium petituri, vel pro acceptis beneficiis gratias acturi. Qua re, ad hanc pietatem in Sanctissimam Dei Matrem servandam et firmandam, agendae sane toti vitae christiana utilissimam, Venerabilis Frater Iosephus Zycinski, Tarnoviensis Episcopus, per litteras die VII mensis Maii anno MCMXII datas, nomine suo, cleri fideliumque dioecesis suae rogavit ut imaginem, quam supra memoravimus, Nostro nomine Nostraque auctoritate, sibi corona redimire liceret. Nos vero, signum dilectionis ei catholicisque Tarnoviensibus praebere cupientes, precibus concedere statuimus. Hinc, audita sententia Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Nostrae Apostolicae potestatis et auctoritatis plenitudine usi, postulanti Praesuli permittimus ut gratiosae imagini Beatae Mariae Virginis a Consolatione, in ecclesia paroeciali servatae pagi Pasierbiec, nomine et auctoritate Nostra pretiosam imponat coronam iuxta probatum liturgicum ritum, Has autem litteras accurate servari volumus suosque legitimos effectus consequi. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Augusti, anno MCMXII, Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana
